

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Jo. Benedictus Carpzov, ... h. t. procancellarius actum  
solennem promotionis septem licentiatorum theologiae ...  
celebrandum intimat**

**Carpzov, Johann Benedict**

**Lipsiae, 1698**

**urn:nbn:de:bsz:31-102653**



Gym 211

Ex  
BIBLIOTHECA  
ILLUSTRIS  
CAROLI HESYCHEI.  
65120





# JO. BENEDICTUS CARPZOV,

SS. Th. D. ejusdemq; Facultatis  
Professor Publicus  
& h.t.

## PROCANCELLARIUS ACTUM SOLENNEM PROMOTIONIS SEPTEM LICENTIATORUM THEOLOGIÆ

*ad d. XXIV. & XXV. Augusti,  
A.R.S. MDC XCIX.*

celebrandum

I N T I M A T.

---

LIPSIÆ,

Typis IMMANUELIS TITIL.


(1698)

14 am Gym 211



...villentes, pr  
...sufpirum  
...ommod  
...tumam lau  
...nus, nec av  
...mabipis A  
...pates ad Tr  
...pudentiz div  
...diquio impo  
...m...Cen...  
...@, Gesu  
...ni doce, plena  
...in...man...  
...pallie cum fi  
...pina harkenus  
...alem dixit, et  
...primo & audi  
...tibet lux, ead  
...statio eas ext  
...aco moverunt.





I. N. J. A.



Uloties atrocitatem temporum, in quæ  
nos DEus reservavit, non sine duriorum, quæ  
nos fortasse manent, fatorum metu expendi-  
mus; toties in memoriam redit septem Eccle-  
stiarum, Ephesinae, Smyrnensis, Pergamensis,  
Thyatirense, Sardensis, Philadelphiensis,  
Laodicene, quæ cum in Asia, Johannis Theo-  
logi aro, omni genere felicitatis florarent,

*Apoc. 1, 11.*

suo quæque Episcopo verbique Ministerio  
excellentes, pridem è sedibus suis exterminatae, & quasi in exilium eje-  
cta, hospitium Mohammedicis involutum tenebris reliquerunt. Sive  
enim commoditatem loci consideres, quam ibi Mithridates apud Justi-  
num tantam laudabat, ut neque cælo Asia esse temperatius aliud, nec solo  
fertilius, nec urbium multitudine amoenius diceret; sive doctrinæ puri-  
tatem ab ipsis Apostolis eò delatae, Johanne communis omnium Episco-  
pi partes ad Trajani usque tempora sustinente; sive cætera singularis  
providentiaæ divinæ documenta, quæ singulis meritò laudem Smyrnensi  
ab Ignatio impertitam vindicant, fuisse ἡλεγμένην ἐπαντιχαρομέτην Magdeb.  
πεπληρωθρημένην εὐ πίστει καὶ ἀγάπῃ, ἀνυπέμπτον θύμῳ παντες χαρ-  
σμάτῳ, Θεοπεπεπίστην καὶ ἀγαθόσεγν, misericordiam consecutam in Cen. II. c. II.  
omni dono, plenè instructam in fide & charitate, nullius gratis expertem, fol. 3.  
divinissimam & sacrosanctam; sanè nostrarum provinciarum Ecclesias  
potuisse cum florentissimo illarum statu, qualem Irenæus celebrat, de  
palma hactenus contendere, omni jure assursum. Itaque veremur, ne  
eadem ἀχαριστικαὶ crimina, idem in religione torpor, eadem aurum.  
prurigo & audiendarum novarum doctrinarum cupiditas, idem fastus,  
idem luxus, eadem à pristino fervore & pietate, probitatoq; ac charitate  
defectio eas extinguant & opprimant, quæ in Asia septem candelabra  
loco moverunt. Evidem si Jo. Cocceji, Viri doctissimi, sententia in Bel-

*Ignat. Epist.  
ad Smyrnens.*

Irenæus  
Lib. I. c. 2. 3.  
& lib. III. c. 4.  
Conf. Thomæ  
Smithi noti-  
tiam VII. Asia  
Ecclesiastarum.  
Oxon. A. 1672.  
editam.

PROGRAMMA AD ACTUM

gio nuper disseminata obtineret, non esset Ecclesiarum istarum minoris Asiae vel prestans florensque conditio, vel tristis ruina nobis proponenda in exemplum, cuius omnes partes exprimerentur; sed longè aliter de epistolis ad septem angelos à Theologo, cui mandaverat DEI Filius, perscriptis judicandum foret. Nempe ut totius Ecclesiae Novi Testamenti statum in septem periodos divisum voluit, eoque omnia Proprietatum oracula, maximè vero Mosis verba ultima, & Salomonis Cantus

Sic ipse Coc-  
ceius pref. in  
Apoc. Tom. V.  
Opp. fol. 892.

ad Cap. I.  
fol. 892.

ad Cap. I.  
fol. 895.

Cap. II, r.  
fol. 901.

tuas in Apocalypsin cogitationes, quas juvenis inchoaverat, nec usque ad seminam ex animo deposituit, eum orbe literato communicaret, tantum in eo fuisse vidimus, ut quicquid septenarii in ea inveniret, de septem illis ecclesia universalis temporibus interpretaretur. Neq; contentus librum integrum septem visionibus interstinctum exhibuisse, insuper in singulis septem periodorum faciem ostendit adumbratam, filium Apocalypses non esse unum toto libro continuatum, sed septies replicatum persuasurus, ne quis forte primis capitibus ea tradi existimet, quæ sunt primi temporis, & ultimis quæ sunt ultimi temporis, sed distinctas illas pericopas prima & ultima tories complecti meminerit. Cum enim primis tribus capitibus hominem inter septem candelabra ambularem, & septem stellas manu tenentem, sibiq; septem epistolas ad septem ecclesiias dictantem visum auditumq; à Johanne legimus, Cocceius cavit, ne alia putemus hanc visione indicari, quam quæ in visione secunda capitibus quatuor descripta per septem sigilla ab Agrio aperta designantur. Quæ ipsa itidem alia non sint à magnis illis rebus, que buccinibus septem angelis evenisse in tertia visione describuntur; in sequentibus similiter alio atque alio modo repetita. Sic igitur summarum ille de his septem ecclesiis: An in septem illis particularibus ecclesiis Asiaticis talia contigerint, qualia haec epistles significant, quis potest dicere? Quare si non nisi temerè dici potest, epistles loqui de rebus septem illarum ecclesiistarum; non nisi praefratte negari potest, per earum nomina intelligi ecclesiam orbis in distinctis temporibus, ut locorum differentia enigmatica temporum differentiam significet; cum aperuum sit, de iis, que in ecclesia Christiana hucusque facta sunt, que Spiritus in epistles dicit, aptissime potuisse dici. Jam quod ad singulos nominatim attrinet, Ephesina Angelus omnem illi doctorem significat ecclesiae primæ periodi, quæ Ephesina nominari commode possit. Et quod de odio adversus Nicolaitarum opera epistle inferitur, id non de certæ aliquuj seclæ autore quodam Nicolao introducta &

in

## LICENTIATURE INVITATORIUM.

in vulgus cognita malitia accipiendum docet, sed adhiberi in visione  
ænigma, quo innuat, defecisse quidem ecclesiam primitivam alicubi à  
contentione virium ad exercendam charitatem in obitione ministerii,  
non tamen defecisse ab amore veritatis & sanctitatis, cum Nicolaitam  
esse, sit sectam facere, & nomen hominis nuncupare præter nomen  
Christi. Ecclesia Smyrnensis norrime alludi ad συνέργαν, quod est Myrra,  
quæ fidelium martyria odorem DEo gratum instar nidoris thymia-  
matum latè spargentia designantur. Quorum in persecutione patientiam  
cum epistola prædicet, non compellari eā inquit ecclesiæ unius An-  
gelum, sed Angelum ecclesiæ periodi secundæ, in omni loco patientis.  
Et quod de afflictione decem dierum vaticinatur, id de totidem persecu-  
tionibus decem Imperatorum, vel postremà Diocletiani decem annos  
durante intelligendum. Pergamensem ad Constantini tempora refert,  
& de Ecclesia urbis dominantis & magnâ potentia circumvallata expo-  
nit, cuius populus autoribus illis, qui essent ab Asia & Trojana, & sic  
Pergamensi origine, glorietur. Nam in Imperio Romano id effecisse  
Constantinum, ut omnia, quod epistola celebrat, Christiano nomini sub-  
derentur. Arque hūc Antipe mentionem accommodat, quod non sit  
certi hominis nomine, sed ex αὐτίναλεσ, hoc est, ιωάννης, vel ιωάννης τοῦ  
μαρτύρου, equalis Patri, truncatum, quo non aptius formari nomen po-  
tuerit ad significandos Ἐρυθρούς assertores, in Syodo Nicenâ à Con-  
stantino coactâ Arium quidem damnantes, sed ab Arianis, quorum fau-  
tores postea Constantius & alii Imperatores Orientis fuerunt, tūm sen-  
tentia jugulatos, tūm vexatos atque imperfectos. Thyatirensem de pe-  
riodo quartâ ecclesiæ veræ in medio falsæ emicantis interpretatur, &  
nominis rationem urget, dici quasi τῷ Συνέργῳ τοῦ τετραμένου, hoc  
est, eam que immoletur & vexetur. Ænigmaticum vero nomen Je-  
zabelis significare systema falorum prophetarum, partim illorum omni-  
um Antichristum, cuius sefio in templo Dei & confusio fidelium cum  
adorantibus bestiam, in epistola ἀστρονομούσι eternatur. Sardensi no-  
mine alludi fortè ad ὁρέω princeps, aut ὁρέω amissis, aut ὁρέω su-  
perstes, aut fuisse illo tempore aliquid in Sardensi ecclesiâ respondens  
verbis epistole, propter quod ad ænigma propheticum hanc ecclesiâ par-  
ticularis fuerit assumpta, hariolatur. Explicat autem de periodo quin-  
tâ, quæ sit ecclesiæ post frustrâ petitanâ reformationem ab urbe magna  
recedentis, & in eâ recessione exagitatae usque ad pacem ejus. In æ-  
nigmate Philadelphiensis characterem querit vera ecclesiæ, qui sit.

Bers. 8. fol. 902

Bers. 12. f. 904

Bers. 18. f. 905

Cap. III, I.  
f. 907.

Bers. 7. f. 910

## PROGRAMMA AD ACTUM

*Quid ad eam dicitur, dilectio fratrum, cuius in periodo sexta constituta qualitatem epistola sic depingat, quasi post impetratam pacem probi exigua potentia armati tententur quidem cum multis aliis, sed in veritate tamen, plurimis licet ab agnita veritate iterum recendentibus, conserventur. Denique per Laodiceanam ex vocabuli potestate intelligit ecclesiam illius temporis, quo Deus judicium ager inter populos, sua quidem sententiā non extrellum illud atque universale cum seculi consummatione conjunctum, sed quo omnes populi Christo subjicientur, ut ecclesia cum Christo in terris regnatur serviant. His cogitationibus mirè sibi Coccejus placet, ac laudi ducit sic illas exornasse, adeò quidem, ut in præfatione lectorem moneat, si idem alius ante se dixerit, id fortasse non multum esse.*

*Quod ejus ingenio libenter Antonius Hulsius largitur, & injuria ipsum afficere merito dicendos ait, qui vel ex alia sua ex scriptis, vel cum aliis consensum meditatum affirmaverit. At verò ipsum illas à Præceptore suo Ludovico Crocio hausisse, sine injuria dicet, qui hujus *Syntagma Theologie* evolverit, ab ipsomet Coccejo Græco carmine commendatum. Hoc enim ille non tantum ita adoravit, ut *ideam dogmatum ecclesiasticorum pro conditione Ecclesie Sardensis*, hoc est istius periodi, quæ inde à Maximiliani I. & Caroli V. Imperatorum Romanorum tempore tūm adhuc durabat, exhiberet; sed & laborum suorum rationem Reipublicæ Bremensi in epistola, quam præmisit, dedicatoria redditurus, in primis se in enucleanda divinā Apocalypsi Johannis Theologi, prophetiā Novi Testamenti luculentā & sublimi, mysteriū septem stellarum & septem candelabrorum aureorum complexā, elaborasse scribit. Mysteria inquam tūm exposuisse, neque epistolas illas septem, prout tralatitia plerorumque interpretum opinio ferat, considerasse veluti historicas, sed tanquam vetē propheticas ea fini Theologo à Dei Filiō dictatas, ut non tam septem Asiae ecclesiæ ministerii septem vices, tempora, fata, periodos, facies, conditiones, status exprimerent. Primam conditionem vocat *Apostolicam ecclesiæ Ephesinae* significatam, cuius periodus inde à Tiberio usque ad Trajanum protenditur. Secundam μαρτυρεύσιν, *Smyrnensi* ecclesiæ indicatam, inde à Trajano usque ad Constantinum Magnum. Tertiam *Polemicam*, *Pergamensi* parallelam, inde ab imperio Constantini Magni usque ad Carolum Magnum. Quartam *Religiosam & devotam*, nomine *Thyatirensis* Papæ Romano subjectam, inde à Carolo Magno usque ad Ca-*

*Bers. 14. fol. 91v.*

*fol. 892.*

*Hulsi. part. I.  
Theol. Hypoth.  
p. 321.*

*Edit. Bremse,  
A. 1631.*

10-

LICENTIATURÆ INVITATORIUM.

7

tolum V. Quintam Politicam, Sardensi designatam, inde ab imperio Caroli V. hucusque & quamdiu Deus volet, à Principibus & Magistris in libertatem conscientiae assertam. Sextam Fraternam, ipso Philadelphensis titulo jam imminentem, cuius aurora ex præsenti surgat, & quæ liberata ex tempore tentationis, quod venturum est in orbem universum, ad primam charitatem sub statu Apostolico amissam, quâ proxi-  
mè redditura, Judæosque secundum promissionem convertendos exce-  
ptura sit. Septimam tandem tepidam appellat, in Laodiceenâ conspicuam,  
omnium periculisssimam. Istarum Crocii meditationum auditor  
quondam Coccejus fuerat, æque ac Balthasar Willius, utriusque postea will. Com. tra-  
in eodem Gymnasio Collega, qui cum & ipse Apocalypsin sub septem ec-  
clesiis, septem sigillis, septem tubis, septem phialis, notitiam dedisse,  
temporum novissimorum doceret, illud reticere non ausus prima sen-  
tentia hujus sue rudimenta Ludovico Crocio accepta retulit. Imò ne  
Crocus quidem Autore caruit, quem sequeretur. Thomas sanè Bright-  
mannus pridem in Anglia Apocalypsin Apocalypses divulgaverat, in qua  
de septem epistolis ad septem ecclesiás à Johanne scriptis ita statuit, reti-  
nendam quidem veritatem historiæ, sed cum significatione mysterii uni-  
versam Gentilis ecclesiæ conditionem includentis. In singulis enim  
non tantum urbem spectandam esse, sed pariter conjungendam sociam  
aliquam ecclesiā, non ejusdem tamen illius, verū diversi temporis,  
quæ è regione illi respondeat, veluti typo suo antitypus. Necesse pag. 20. col. 1.  
est, inquit, separatim singulas constituere typos, eoz ordine, quo nume-  
rantur. Antitypa verò sunt illæ ecclesiæ, que vel temporum intervallis,  
vel locorum intercedente divisa singulis sùd serie congruunt. Qui-  
bus finibus concludantur, convenientia rerum satis docebit. Ad hanc  
normam de Ecclesia Ephesina: Antyptum urbis hujus st. muimus esse pri-  
mam Christianam ecclesiā: qua dicens originem ab Apostolorum præ-  
dicione, ad Magnum usq; Constantinum perduravit. Hæc princeps est  
omnium sequentium ecclesiārum, quemadmodum Epheſus est prima se-  
ptem urbiū. De Smyrnensi: Antyptum est proxima ecclesia à pri- pag. 28. col. 2.  
ma. Colonia hujus, ut Epheſi Smyrna: nonnunquam quoq; gaudens  
communi nomine, quemadmodum illæ due urbes, propter summam ori-  
ginis conjunctionem, ut docet Strabo. Initium capit hoc antitypum una  
cum Constantino, quoq; prima ecclesia, Epheſinum antyptum perrexit,  
& continuatur usq; ad Gratianum, circiter annum Domini trecentesi-  
num secundum. De Pergamensi: Antyptum hujus est longioris tem- pag. 32. col. 1.  
poris.

Zachar. p. 484.

pag. 5. col. 1.

pag. 20. col. 1.

ibid.

pag. 28. col. 2.

pag. 32. col. 1.

## PROGRAMMA AD ACTUM

*poris, quam priora, ut etiam loci distantia magis superat, magnam partem complectens regni tenebrarum, ab anno trecentesimo octuagesimo, nimirum à Gratiano, ubi prior periodus desit, ad annum circiter millesimum trecentesimum.*

*pag. 37 col. 1. De Thyatirensi: Antitypum est tempus ab anno millesimo trecentesimo usq; ad annum quingentesimum supra millesimum. Hactenus de quatuor urbibus, quæ uti longius à se invicem distabant, sic habuisse antitypa longioris temporis censuit. At tres istæ, quæ restant, uno capite tertio inclusæ, minoribus intervallis aliae ab aliis disjunctæ sunt, indeque conjunctioris esse temporis judicat è regione sibi respondentes Ecclesiæ.*

*Sic autem de Sardensi: Antitypum est prima reformata ecclesia, inchoata a divinitus per Martinum Lutherum Wittenbergæ, quod est ad Albim oppidum Saxonie, Anno M D XVII. quando Romanis Quæstoribus vendentibus populo condonationem peccatorum sanctus ille Vir seipso opposuit. Reviviscere cepit veritas sub Thyatirensi statu, sed nulla reformatio consecuta est; hæc primum suscepta est hoc tempore.*

*De Philadelphiensi: Indicatur ejus antitypum esse secundam reformatam ecclesiam, quæ post Germanicam exoriretur. Hec autem est Helvetica, Suevica, Genevensis, Gallica, Belgica, Scotica. Has omnes in unam aggrego, quia unis ferè legibus & institutis vivunt, quod ad res alicuius momenti attinet. Nec loci distantia societatem dirimit, quam animorum & voluntatis conjunctio copulat. Immò hæc dispersio Philadelphiensibus præcipue congruit, quos diximus crebriores in agris quam in urbe habitare. Quo fit, ut hæc raritas civium multum loci occupet, et si cives non sunt ita multi. Reperiemus hanc ecclesiam ortam paulo post Germanicam, quando Ulricus Zwinglius docere caput Tiguri in Helvetiis, anno M D XIX. & inchoata fuit reformatio quarto anno post, videlicet XXIII. cum nemo Pontificius in arenam descendaret contra Zwinglium, qui omnem controversiam deferebat sacrarum scripturarum arbitrio dirimendam. Horum vestigia sequebantur Constantienses, Basilienses, Argentoratenses, Genevenses, & alii. Ibi observandum, priora antitypa longioribus intervallis fuisse distinctæ; hæc tria postrema, uti typos habent loci intercedente minus distantes, sic ipsa sibi mutuo coherent coniunctioribus temporibus, neg, tam seculis & multorum annorum finibus, quam legibus & institutis disperguntur. Post enim acceptam originem, qua paulo tardior aliis quam aliis contigit, omnes tres simul floruerint. De Laodicena: Antitypum est tertia reformata ecclesia, nostrum nimirum Anglicana. &c. Brighthmanni ergo vestigia legille Crocium,*

quis

*pag. 59 col. 2.*

LICENTIATURÆ INVITATORIUM.

quis dubiter? etiamsi in definiendis periodis, & potissimum postremis variet; prout nec Croci sententia de statu periodi septimæ, quam tēpidam & omnium periculosissimam ac plumbeam nominabat, placere poterat Coccejo, Seculum aureum hic reponenti. Cocceji vero vix inter Reformatos in lucem prodierant cogitationes, cùm ē nostris Matthæus Hoffmannus, Machæropœus dictus, *Chronotaxin Apocalypticam* *Jesu*, A. 1667. parat, quam morte quidem interceptus non absolvit, affectam tamen eodem, quo obiit, anno hæredes emiserunt posthumam, defectum etiam decennio post supplente Caspero Heunischio, in *Synopsi*, quam edidit, *Chronotaxeos Apocalypticæ*. Is cum Jo. Coccejo & ceteris idem sentientibus in hoc conspirat, quod certas temporum periodos Visionibus Apocalypticis assignaturus, certò sibi persuasum habet, *septem illas Ecclesiæ, nomine Asiaticarum insignitas, non illas particulares, quarum nomina habent prefixa, sed has septem universales Ecclesie periodos representare*. Quod sicuti *primum vidisse illum, Heunischius in Clave Apocalypticæ*, quam *Synopsi* illi suæ quinto post anno subjecit, falso gloriat: ita quantum ad annorum supputationem, in quâ à cœteris abit, non defraudabimus eum laude εὐρεῖσθαι. Hos enim Hoffmannus & quilibet inter ecclesiæ distribuit, cumque spacium totius Novi Testamenti temporis viginti quatuor seculis per totidem Seniores representatis circumscribat, quamlibet harum septem ecclesiarum significare dicit trecentorum & quadraginta trium annorum periodum, quippe quæ septies iterata bis mille & quadragesimos annos conficit cum uno, quem glorio Christi ad judicium adventui destinatum fingit. Adeò illi omnes gloriam repertæ Φειδερουν्ड, quam deprecari foret satius, appetunt, neque tamen ullus, quanta etiam infrunitæ laudis ab errore pendentis aviditate teneatur, obtinebit. Præripuit eam ante quadragesimos annos Ubertinus de Casali, ordinis primò Minorum S. Francisci, deinceps Carthusianus Monachus, qui Antonio Possevino teste, de septem Statibus Ecclesiæ juxta septem Visiones Apocalypticæ com- part. II. Appar- mentatus est, ne scilicet inter Pontificios deesset, quem erroris si non, autorem, certè socium laudaremus. At neque hic ē Pontificis pri- mus, quem sciamus, ita docuit, sed seculo eum integro antevertit Joa- chimus Abbas Florensis, Benedictini Ordinis; æque uti postea secutus Seraphinus Firmanus, Canonicus Regularis Lateranensis; quorum u- terque in Apocalypsi, quam commentariis illustrarunt, septem ecclesiæ statu describi, hoc quidem ordine observat, ut primus sit fundationis

B

in

Hoffm.  
in Chronot. A-  
pocal. p. 70.

Heunisch.  
in Clav. Apoc.  
p. 69

Possevin.  
part. II. Appa-  
rat. S. fol. 518.

## PROGRAMMA AD ACTUM

*in Apostolis*, secundus persecutionis sub Gentilibus Imperatoribus, tertius prospexitatis sub Constantino, quartus divisionis sub hereticis, quintus tranquillitatis & incrementi sub Carolo Magno, & deinceps, sextus ultime persecutionis sub Antichristo, septimus extremi judicii. Extant u-

Joach. Abb. triusque enarrationes jam seculo superiori typis excusa, alterius Venet. A. 1527. Venetiis, alterius, qui Italice scripsit, Latinitate donatae à Gaspare Placentino, Seraphin. Ant. Antwerpia. Illos enimvero viros doctos mirari licet, quod non ri- Béerp. A. 1581. deat alter, alterius interpretationem quando videt, (quod Cato olim di- apud Cicero- cebat de aruspice aruspicem vidente) cum nunquam sumus adducti, ut crederemus, seriò & ex animi sententia hæc pronunciassæ, tantum ab est, ut quæ pro confirmandis iis argumenta protulerunt, infirma, vi- tiosa, nugatoria, probare unquam potuerimus. Nam Christus ipse, cùm Johannem stylo excipere Apocalypsin jussit, futurorum totius ecclæsiæ fatorum prædictiones, à particulari illâ ecclesiâ Asiatiarum

*Apoc. I, II.*

conditione distinxit: *Scribe, inquiens, que vidisti, r̄q; à eis, tūn ea que sunt, hoc est, epistolas ad septem in Asia Ecclesiæ ephoriæ tuz cre- ditas, r̄q; à mēdiā yevēd̄ μετὰ τῶν, tūn ea que futura sunt post hac, hoc est, vaticinia de ecclæsiæ totius statu vario & multiplici ad finem, usq; mundi futuro, multis mysteriis involuta. Johannes igitur literas sibi à Christo dictatas ad ecclæsiæ suæ fidei commissas scripsit, & vaticiniorum scriptiōnem tum demum cœpit, cùm epistolârū monumenta absolvisset; tūn enim ad alteram partem officii demandati obeun- dam vocatur denuò: Ascende hic, inquit vox cœlitus delapsa, r̄q; δέξω σοι à dñi yevēd̄ μετὰ τῶν, & ostendam, que oportet fieri post hac.* Hæc una ratio bono interpreti sufficit, ne minus ingeni luxuriantis subtilitati det locum, neve à Scripturæ clarâ literâ discedat, aut singat ænigmata in historiis. Historiam profectò, saltem ex parte,

Coccejus haud negavit, dum existentiam concessit septem harum in

*Coccej. fol. 895. Asiad Ecclesiârum, & censuit, Johannem eas fecisse depositarias Apo- calypticas, ut per eas custodiretur, & ad omnes Christianos perferretur. Ergone inde nomina harum urbium, qua ecclæsiis istis hospitia præ- buerunt, ænigmata sunt & figuræ, non aliorum locorum, sed fatorum totius ecclæsiæ in septem temporum periodis. Res quidem in ecclæsiis istis gestas aliis omnibus omnium temporum ecclæsiis posse, imò debere proponi, caret dubio, quia epistolæ ad particulares ecclæsias scriptæ ad omnium ædificationem scriptæ sunt; at historias con- vertere in ænigmata, id vero est, analogiam confundere cum figuris,* quod

## LICENTIATURÆ INVITATORIUM.

ii

quod inter vitia sacræ interpretationis Theologi non immerito refertur. Et credo id movisse Brighthmannum, ut ecclesiarum istarum antitypa fingere maluerit, certis temporum periodis implenda, eodem tamen vicio. Ex his erroribus alii subinde errores oriuntur, ut secta Nicolitarum, secus ac Viri in Historiâ Ecclesiastica versatissimi hactenus docuerint, negetur unquam fuisse, & per vocabuli lusum in quorumcunque sectariorum catervam transformetur; negetur fuisse apud Pergamenses Antipas, etiam si & martyr, & fidelis, & occisus commendetur, saltem ut assertio deitatis Christi contra Arianorum hæresin Constantini ævo in Concilio Nicæno facta exsculpatur; negetur, in ecclesiâ Thyatirensi fuisse mulierem Nicolitarum patronam, ad liberè volutandum cum scortis & idolothyta comedenda impellentem, saltem ut tempora Romanæ Thaidis adumbrata dici queant. Benè Coccejus inter regulas interpreti attendendas constituerat tertiam: *In prophetiae meditatione secundum est sobrie, id est, sene prejudicio & concupiscentia. Nam si homo in cor suum admiserit sua stercora, & tunc veniat, ut consulat Deum in scripturâ loquentem, sive ad verbum propheticum, Deus respondebit ipsi secundum sua stercora, hoc est, talis homo non poterit non abiuri verbo Dei, & illud torqueat secundum propriam cunctipotentiam.* At fidem tuam, Cocceje! qui Scripturam ad confirmandas hypotheses tuas, quas confirmare recusat, adeò sollicitas, ut ista ratio explicandi nomen planè interpretationis hypothetice nacta sit. Sed audiamus tandem rationes, quibus pro suâ opinione gloriosi apocalypses interpretes propugnant, in sumمام ab Hoffmanno contractas: *Hoc, inquit, si cui falso videtur, ostendat is mibi, quenam sint illæ septem ecclesie, que in V. T. & hic in Apocalypsi per candelabra aurea septem notantur? Ostendat, quinam sint illæ septem angeli, per septem stellas in manu Salvatoris figurati? Reddat rationem, cur Spiritus S. ad has septem ecclesias, reliquis præteritis, scribere jubeat, præsertim in hoc vaticinio futura docente? & satis, ut opinor, sudabit. Non sanè multum sudabimus in his insolubilibus, quæ putant, solvendis. In primis autem ista ab Hoffmanno scribi meminerimus, qui nullam prorsus historiam in septem epistolis agnoscit, sed mera vaticinia de futuris totius ecclesiæ fatis schematicè proposita sonniat. Itaque in plerisque petit, quod in principio est; maximè dum quæ sibi ostendi, & de quo rationem redi postulat, rem ideo multi sudoris fore præfigit, quod in hoc vaticinio futura docente continentur. Atqui id ipsum in controversiâ versatur & contentione,*

B 2

sicutne

conf.  
Dn. L. Itting.  
App. ad Scđt. I.  
de Hæres. c. IX.  
p. 31. seqq.

in Proleg.  
fol. 893.

Halsius Diff.  
II. de Interpr.  
Script. §. XXI.  
seqq. p. 17.

in Chronotax.  
Apoc. p. 73.

Ante hinc vaticinationes de futuris, an epistola verè ad ecclesias in Asia particulares perscriptæ? Deinde vult ostendi, quānam sint septem ecclesiæ in Veteri Testamento notatae? Supponit nempe, candelabrum aureum septenā lampade coruscum, quod in tabernaculo reponebatur, typum fuisse septem ecclesiæ periodorum. Atqui id falso supponit;

*Exod. XXV, 37.*

*Lib. V. Stro-  
mat. fol. 563.*

*c. I, 20.*

*ib. 6. II.*

*Malach. II, 3.*

*Phil. II, 15.*

*Foxus Medit.  
in Apoc. p. 27.*

quid enim? si interprete Clemente Alexandrino ostendamus, ἡναὶ εἰπεῖ ὁ Φιλίππεος Κυριός, τὰ ἐπτά πνεύματα, ἐπαναπαύσθαι τὴν φάσιδα τῆς ἀνθρώπης ἐκ τῆς πίστος Ἰεροῦ, esse septem oculos Domini, septem Spiritus, requiescentes in uirga, qua soter ex radice Jesse. Frustrè difficultatem objicit ostendendi, quid in Apocalypsi per septem candelabra notetur? nam ipse Christus illam in textu removit: οὐ εἰπεὶ λύχνους, οὐ εἴδες, εἰπεὶ σκηνήσια εἰσι, septem candelabra, que vidisti, septem ecclesiæ sunt; septem inquam illæ in Asia, quas antea suis nominibus insigniverat. Neque ad questionem, quinam sint illi septem angelii, per septem stellas in manu Salvatoris figurati? communī omnium sententia adhærere dubitamus, esse septem ecclesiærum doctores,

angelos Domini, doctrinam custodientes, τὰς φάνωσιν τῶν φαντασίων εἰποῦσι, lucentes tanquam luminaria in mundo. Denique rationem, cur Spiritus S. ad has septem ecclesiæ, reliquis præteritis, scribere jussérerit? reddidit jam olim Jo. Foxus, suis in Apocalypsin meditationibus, quas εἰπατεῖσε inseriptis: Scripturus, inquit, ad ecclesiæ Dominus, per suum amanuensem, neq; ad omnes (quod esset infinitum) neq; ad nullas scribit, sed solum in prophetico hoc numero septem ecclesiærum se continet. Id quod per ceteras hujus prophétæ visiones observatum ab eo cernimus. Veluti cum septem astris, septem candelabris, septem spiritus, lampadis septem sigilla septem, septem item angelii, cum tubis septem, totidemque plagarum phialis: septem porrò tonitrua, septiceps draco, septicollis civitas, septicornis bestia, septena & agnioruia, omnia deniq; sub typica hujus numeri figura commemorantur. Deinde quoniam in Asia primū efforuit ecclesiærum propagatio, par erat, ut inde potissimum emanaret ad ceteras ecclesiæ ecclesiastica hujus revelationis testificatio. Addimus, Johannem harum ecclesiærum, quod stylo nostro liceat eloqui, Superintendantem generalem fuisse, iussimique iis tanquam fidei sua commissis apocalypsin credere per epistolas ad unamquamque cum peculiari admonitione exaratas. Quæ ratio simul Coccejo, ecclesiæ illas factas libri depositarias concedenti, sed in meras postea figuræ, ut vidimus, convertenti oppo-

monstra, c  
inter sepiem  
are nam sepi  
m, ad Chrys  
in sepiem?  
mer sepiem  
z, qui empi  
hors nuncup  
at, ab ib  
tudine licet  
tus, ad Galat  
uincentes, ad  
ad Timoch  
ularum doc  
cum ad alios  
siderere,  
vita Apof  
Imprando  
in quibus  
quidam et  
limes Apof  
na plenitudi  
lum celebrar  
tum crepit  
pedari nunc  
ante tamen p  
dum illarum  
toci nostrius  
hac nostra tim  
ut, admodum  
an ecclæsiæ  
lum acerba in  
huc labores, in q  
breviter, in defan  
deprecandis p  
in ferendis cruce  
magistratus vi  
p

LICENTIATURÆ INVITATORIUM.

13

opponenda, cùm rhetorice contendit : *Christus an tantum ambulat inter septem ecclesias?* Quod si Christus in omnibus ecclesiis adest, quare non septem ecclesie erunt ecclesie totius temporis novi testamenti? Item, an Christus tantum septem stellas tenet manu, episcopos ecclesiærum septem? Et apud unam ecclesiam voluit denominari inde, quod teneat septem stellas manu sua? Et non potius ubiq; vult innoscere, ut is, qui omnium ecclesiærum nuncios in septem ordines distinxit? Ita Spiritus numquid est Spiritus tantum septem ecclesiærum in Asia particuliarum, & ab his denominari nobis voluit? Atqui eodem planè modo contendere licere: de Pauli epistolis, cur ille tantum ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses, ad Hebreos, non item ad alias ecclesiæs scripsit? cur scripsit ad Timotheum & Titum atq; Philemonem, non item ad aliarum ecclesiærum doctores? an quæ in ipsis celebrantur beneficia Christi, non etiam ad alios pertineant? Adeò mirum est, posse virum doctum in re seriæ sic ludere. Ad omnes ergo spectat usus epistolarum, quas ad certas ecclesiæ Apostoli Georgius scripserunt. Et sic exaudiendi sunt antiqui Patres, quando has septem Johannis epistolas toti Ecclesiæ accommodant, è quibus Augustinus, cùm numero septenario universæ ecclesiæ significatam esse perfectionem affirmat: *Propter quod, inquit, & Johannes Apostolus ad septem scribit ecclesiæs, eo modo se ostendens ad unius plenitudinem scribere.* Præclarè igitur, & proflatus ad mentem nostram celebratus modo Scriptor Anglus, eōpsè quo Lutherus reformationem cœpit anno in lucem bono omniæ editus: *Etsi omnia, inquit, peculiari nuncupatione septem solum ecclesiæs attingere videantur, non inutile tamen fuerit, & nos ipsos dignâ hic attentione ad vigilare, ut admoniti illarum exemplo literarum, nobis ipsis maturè caveamus, idq; tanto maturius atq; emixius, quanto gravioribus flagitiis exulceratissima hæc nostra tempora laborare videantur: præsertim cum ipse disertè quosq; admoneat, ut qui habeat aurum, audiat, quid Spiritus dicit ecclesiæs.* Quod si enī incensa divini Numinis iracundia tam acerbè in ecclesiæ illas commota sit, ob pauculas quasdam labores, in quibus tot emittuerunt egregie virtutes, in sustinendis laboribus, in defungendis periculis, in tuendâ constantia & patientia, in reprehendendis pseudo apostolis, in aversandis improbis & Nicolaitis, in ferendâ cruce & paupertate, in tenendâ fide & nomine Christi, in novissimarum viri utrum incrementis, in candore vestium retinendo, &c.

Cocc. fol. 395.

Augustin.  
lib. XVI. de  
Civ. Dei cap.  
IV. Tom. V. opp.  
f. 193.

Foxus Lc. p. 34.

B 3

quid

quid nostris hodiè ecclesiis sit metuendum, que nullâ virtutis parte cum illis conferenda videantur? Quanquam neque carebant illæ suâ etiam reprehensione. Que omnia non inutile fuerit, à nobis idcirco accuratius observari, ut illorum admónitu, quid nobis similiter imitandum, quid fugiendum sit, edoceamur. Quare & septem ecclesiarum Asiaticarum angelos jam in exemplum proponere placuit septem quibusdam Angelis nostrarum ecclesiarum, ut quas in iis laudari videant virtutes, æmulentur; quæ vitia reprehendi, fugiant, & sive quisque sic prospiciat ecclesiæ, ut fata, quæ metuimus, sinistra Deo propitio averruncentur. Tot enim ecclesiis moderandis dati sunt septem illi, quos producimus, Candidati, si pro geminâ quidem, uti pat est, in Lipsiensi numeremus Academicam & Thomanam cathedram, tunc verò tertius in Bornensi, & quartus in Annæmontanâ, & quintus in Schleusingensi, & sextus in Herzbergensi, & septimus in Servestanâ splendet. Et quanquam Johannes angelorum Asiaticorum nomina epistolis non adscripsit, nostrum tamen est nostrorum non taceere, sed in hac publicâ tabulâ omnium exhibere conspectui, ut ordine, quo sequuntur, legi ab omnibus possint.

**M. VALENTINUS FRIDERICI**, Smalcaldensis, SS. Theologiae Baccalaureus, Linguæ Sanctæ Professor Publicus ordinarius, Facultatis Philosophicæ Assessor, & Majoris Principum Collegii Collegiatus.

**M. IMMANUEL HORNIUS**, Neukirchæ Lusatus, SS. Theologiae Baccalaureus, Ecclesiæ Lipsiensis ad D. Thomæ Diaconus, & Minoris Principum Collegii Collegiatus.

**M. JO. GOTTLIEB LUCIUS**, Dresdenis, SS. Theologiae Baccalaureus, Ecclesiæ Bornensis Pastor, ejusdemque dioceseos Superintendens.

**M. GEORGIVS HEINRICUS GOEZIUS**, Lipsiensis, SS. Theologiae Baccalaureus, Ecclesiæ Annæmontanæ Pastor, ejusdemque dioceseos Superintendens.

M. FRI-

**M. FRIDERICUS ERNESTUS MEISIUS,**

Marisfeldio-Hennebergicus, SS. Theologiæ Baccalaureus, Ecclesiæ Schleusingensis Pastor, ejusdemque diœcœeos ac Gymnasii Superintendens.

**M. GEORGIUS LEBRECHT WILKIUSS,**

Misenensis, SS. Theologiæ Baccalaureus, Ecclesiæ Herzbergensis Pastor, ejusdemque diœcœeos Superintendens.

**M. JO. GEORGIUS PRITIUS,** Lipsiensis,

SS. Theologiæ Baccalaureus, & in Ecclesiâ atque Gymnasio Servestano Pastor ac Professor designatus.

Cum enim nomen quisque suum apud Facultatem Theologicam professus Licentiam petierit gradum Doctoris assumendi, expedita Facultas Serenissimo & Potentissimo Principi ac Domino, Domino FRIDERICO AUGUSTO, Regi Poloniarum, Magno Duci Lithuaniae, Russiae, Borussie, Masoviae, Samogitiae, Kyovie, Wolhyniae, Podolie, Podlachie, Livonie, Smolenscie, Senechie, & Czernichoviae, Duci Saxonie, Juliaci, Clivie, Montium, Angria & Westphaliae, Sacri Romani Imperii Archimareschallo & Electori, Landgratio Thuringie, Marchioni Misnia, ut & superioris & inferioris Lusatiae, Burggrafo Magdeburgenſi, Comiti Principali Hennebergico, Comiti de Marca, Ravensberge & Barby, Dynaste in Ravenstein, Regi & Domino nostro Clementissimo, singulorum desiderium, indeque ipsius Regia Majestas nomine Serenissimi & Reverendissimi Principis ac Domini, Domini MAURITII WILHELMII, Ducis Saxonie, Juliaci, Clivie, Montium, Angria & Westphaliae &c. Postulati Administratoris Episcopatus Martisburgensis, & Academie Lipsiensis Cancellarii Perpetui, Domini nostri itidem clementissimi, partes Procancellarii, ad conferendam illam, quam petiere, Licentiam repetitis singularum nominibus, mihi demandavit. Quas ego uti pro eo ac debui,

## 16 PROGR. AD ACT. LICENTIAT. INVITAT.

bui, devotissimè suscepi, ita exploratis illorum profectibus actum promotionis solennem ad proximos Mercurii atque Jovis dies celebrandum decrevimus. Ad Mercurii quidem diem, qui in fastis Bartholomæo sacratus est, post horam à meridie primam in auditorium majus Majoris Principum Collegii illos deducemus, ut recitatis pro more ipsorum laudibus ad inaugurales suas in publicâ panegyri ad vesperam usque defendendas admittantur; quod disputandi filum posterò Jovis die inde à summo mane retexetur, donec ipsis circa meridiem gradum titulumque Licentiatorum antiquis ritibus contulero. Facultati ergo nostræ devinctos, Licentiatos & Baccalaureos, & quotquot è Magistris sacra studia colunt, honorificè invitatos cupio, ut Candidatos nostros utroque die ex ædibus meis nobiscum eò comitari negraventur. Magnificum autem Rectorem Academiae, & Illustrissimos Comites, ac utriusque Reipublicæ Proceres, inque his reliquarum Facultatum omnium Professores, Doctores, Licentiatos, Magistros, omnes atque singulos, quæ decet observantia & cultu etiam atque etiam rogo, ut præsentia honorificè actum reddant splendidiorem; cui cætera florentissimam Studiosorum coronam sponte suâ frequenter, sed & modestè affuturam confido. P.P. Lipsiæ, Dominica IX. à Trinitatis, d. XXI. Augusti, A.R.S. MDCXCIX.



XI, A.



XI, A.

